



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

46. & 47. & 48. Trina apparitio S. Odiliæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 46.

Ter apparet Ioanni Eppæo S. Odilia Virgo & Martyr in honorem SS. Trinitatis.

Illa memor stirpis Maromæi Filia Regis,
Ursuleæ Ductrix prima phalangis ovat.

(a) Viva salutiferæ quoniam Crucis arsit amore,
Mortua Staurophori facta Patrona Chori.

(b) Hinc Triadi Sacros (nostri Decus Ordinis) artus
Exhumet; Eppæum visio trina monet.

(a) S. Odilia apparens in hec verba B. Eppæum affatur: quia enim amatrix S. Crucis
vita semper existit: idcirco sumptum inde corpusculum meum ad primarium S. Crucis
Cœnobium Huense transferas (b) Postquam secundo apparuerit S. Virgo F. Joanni, id-
quæ intellexisset P. Mart. Herletius Prior domus Parisiensis, tertiam visionem in nomine S.
Trinitatis exorandam præstolam amque hortatur. *Synopsis Hist. S. Odiliae,*

SYMB. 47. de eâdem

*Cum scedula, quæ reliquijs effossis, est inventa; cum hac trium
vocum inscriptione: Ego sum Odilia.*

Hæc eadem Virgo dubium quo tolleret omne,
Hanc Scedam bustis jussit adesse suis.

Hoc genus, hi proavi, Regali sanguine nata
Sum (prænomen habes) nuncupor Odilia.

Vocibus his trinis pronomine, nomine, verbo,
Unius ac trini fulget imago Dei.

SYMB. 48. de eâdem

Quot socias, totidem cœlo vehis Ursula stellas,
Maxima, non major jam velut ursa fores.

Ut-

Utquè polo pariter fulgeret Odilia nostro,

Claruit effossà, nobile nomen, humo.

Vocibus his *Ego sum*, quæ dicor, *Odilia*, Trino

Juncta Deo, cuius scedula (a) nomen habet.

(a) Vide pag 7. super Symb. 14. *Ego sum*. 1. div.

S Y M B O L U M 49.

Reliquiae S. Odiliae Virginis ac Mart. Coloniâ Huyum allatae, tribus locis ibidem per honorificè excipiuntur. Primo in Parochiali Templo S. Petri. Deinde in collegiata Gloriosæ Virg. Mariae Ecclesiâ. Tandem in Basilicâ PP. Cruciferorum, ubi multis claret miraculis, adversus pestem ac febres singularis Patrona. Ita noster Bannelius lib. de Transl. S. Odiliae.

Auspicio Triadis tua Martyr Odilia primùm
Æde sacrâ, memorant ossa recepta, Petro.
Inde (a) Coronatæ subeunt Capitolia Matris
Dum canitur Trino musica sueta Deo. *Te Deum &c.*
Sede Loco fixâ Claro, Patrona gravatos
(b) Peste levat, Fautrix civibus Hoya tuis.

(a) Ecclesia collegiata Hui est dedicata in honorem B. Virg. in cœlum assumptæ. (b) Vide nostrum Russelium, & ex eo P. Crombach. Ursulae vindicatæ. tom. 2.

S Y M B O L U M 50.

*Tres Patroni Ordinis Sanctissimæ Crucis in memoriam SSS.
Trinitatis cœlitus dati.*

Ter geminis clarus fulget Crucis Ordo Patronis,
Illustrem statuit reddere clara Trias.
Quiriacus Solymæ Antistes, Regalis Helena,
Illa Crucem quærit, detegit ille Crucem.

(a)